

lerii monasterio. Plura hic sunt Pauli (*hoc nomine scilicet auctorem opusculi designare solent*) (1) exemplaria latinis litteris exscripta, quæ non otii nostri fuit illa omnia conferre. 3. Ex bibl. illustr. D. Joannis Bertrami a Guevara archiep. Compostellani... Latinis litteris transcriptum a viro docto ut apparebat, ipso in limine indicabatur. 4. Etiam latinis litteris scriptum ex bibl. viri nobilis D. Joan. de Fonseca et Figueroa...; in seren. Ferdinandi Hisp. Infantis, cardinalis Toletani, bibliothecam postea translatum. Quod quidem ex Bertramiano, cum iisdem mendis scateret, transcriptum crediderim. 5. Etiam latinum, ab Alvaro Gomecio a Castro Eulaliensi viro cl. Franciscus Pisa Toletanus Th. D... habuit. 6. Latinum, Antonii Covarruviae, regii consiliarii,... omnium emendatissimum. 7. Gothicum, manu illust. Garsiæ Loaisa archiep. Toletani in aliquot locis interpolatum. 8. Gothicum aliud, quo usus fuit magnum Hispaniae decus, Joan. Mariana S. J.... Habent hodie illius socii, apud quos Toleti tumulatus. *Horum codicum ætatem nullo nobis indicio Tamayus prodidit neque ulla singulorum varietates distinxit, quamquam ipsum textum ex iis codicibus concinnatum perpetua annotatione illustrare conatus est. Editionem Thomæ Tamayi assumpsit cardinalis de Aguirre in tomo II Conciliorum Hispaniæ, Joannes Tamayus in suo Martyrologio Hispanico ad diem 1 novembris (aliqua tamen ex apocryphis in annotationibus Thomæ citata adjungens quasi ipsius libri pars essent), ac demum nostris diebus Migne in sua Patrologia Latina (2). Ex eadem editione maiores nostri excerpserunt Acta S. Nuncti*

(1) Cfr. infra, num. 9. — (2) Tom. LXXX, p. 113 sqq.